

quod adhuc annos ille sic vivat, nihilominus impossibile sit ipsum resipiscere & salvari; it. *Illum non velle ulterius ei gratie sue fores praeberere patulas* p. 413. praeter *Königium Theol. pos. p. 96. qui irremissibilitatem peccati in Spiritum S. nominat absolutam*: Praeter alios adhuc, qui fere ad nauseam usq; sunt allegati, antiquus ille Rostochiensium Theologus *Eilhardus Lubinus* in *Exercitat. theol.* ad 1 Joh. 5. 17. ita commentatur. p. m. 107. Illud peccatum in Sp. S. est peccatum illud ad mortem, irremissibile illud peccatum, cui nulla spes veniae reliqua est: pro illo non dico ut quisquam roget, quia frustra rogaret, cum enim nullum peccatum sine fide in Christum remittitur, & talis homo peccator, qui in Sp. S. peccat ad Christum nunquam convertatur, quippe qui finaliter in impietate & incredulitate sua est perseveraturus, patet quod frustra pro illo rogaretur, qui nunquam converteretur. Supra citatus *D. Lobeckius* ad *Aug. Conf. p. 81.* scribit: Sicuti Diaboli non redeunt ad DEum, nec poenitentiam de suo peccato agunt: Ita committentes hoc peccatum cor habent resipiscere nesciens. Ergo, *Hi omnes Calvinizarunt?*

Resp. (2. per limitationem Majoris.

Quicumq; id, quod in argumento jam allegatum fuit, docent & statuunt, peccatores in Spiritum S. esse inconvertibiles, (ex absoluto DEi decreto, & intentione DEi antecedenter id ipsum volentis) illi Calvinizant:

Jam probetur *Minor*. Nam nobis nihil est commercii cum absoluto decreto, nihil cum caeteris falsis confictis causis irremissibilitatis peccati in Sp. S. quas citat & refutat *B. Scherzerus* in *Fasc. Disp. I. de peccato in Sp. S. p. 65.* Ergo nos non Calvinizamus. Ferox igitur Juvenis *Niehenckius* nos cum allegatis orthodoxis Doctoribus, germanos Calvinianorum fratres ex malitia aut ignorantia vocitavit, veneranda scil. *Facult. Theol. Rostochiensis* id adprobante, quod nunquam putassem.

*Alterum* Argumentum est: quod nos induratos, sicuti peccatores in Sp. S. a gratia revocatrice & spe veniae ac resipiscentiae excludamus:

Quicumq; induratis, uti *Pharaoni, filii Eli, Sauli, atq; Jude,* janua a gratia, ante finem vitae oclusam eosdemq; inconvertibiles esse docent, illi Calvinizant:

Atq; *Spenerus, Rechenbergius, Pape, Besseritz &c.*

Ergo.

Resp. [1. Atqui *Varenius* idem statuit de *Pharaone*, quod post superbissi-